

Landesbibliothek
Sächsische
Staats- und Universitätsbibliothek
Dresden
S 213
Landesbibliothek

n. b.

Q. D. B. V.

160.

MIRABILIA DEI
IN
SERVANDIS
VERITATIS
TESTIBUS,

CONTRA
VARIOS ECCLESIAE CHRISTIANAE
HOSTES,
ADOLESCENTES QUIDAM
BONAE SPEI
IN
GYMNASIO ZITTAVIENSI

DIE XXX. JULII MDCCXV.

POST

PERACTA SACRA MATUTINA
SUCCINCTIS ORATIONIBUS
RECENSEBUNT.

HOS UT

DNN. PATRONI, FAUTO-
RES ET AMICI

BENEVOLO ANIMO

AUDIRE DIGNENTUR

SUMMO, QUO POTEST, STUDIO

ORAT ET OBSECRAT,

M. ADAM Erdmann MIRUS,

GYMN. CONRECT.

ZITTAVIAE,

STANNO MICHAELIS HARTMANNI,



Irabilia sunt opera Dei in Ecclesia servanda dirigendaque. Premunt eam hostes, non tamen opprimunt. Invadunt miseram tyranni violentia externa. Vexant haeretici intestino bello. Omnes perversas suas cupiditates eo dirigunt, ut salus ejus vel sua capiat decremента, vel omnino corruat. Quo major autem saevitia hostium in sancta Dei Ecclesia affligenda cernitur; eo illustrior ex conflictu redit. Servat eam, qui omnia servare potest. Victi & prostrati jacent inimici, si victoriam in manibus habere creduntur. Cernere rem licet ex omnium seculorum memoria, quae a reparata salute ad hoc usque tempus effluerunt. Exposita Ecclesia fuit per tria priora secula gravissimis persecutionum procellis. Quicquid atrocitatis ab hostili manu expectari potest; id Ecclesia non sine funesta clade sub Nerone, Domitiano, Trajano, Septimio Severo, aliisque tyrannis experta est. Turbarunt Ecclesiam haeretici cum alii, tum potissimum in primo seculo Ebion & Cerinthus; in secundo Gnostici, Saturniniani, Valentiniani, Marcionitae & Montanistae; in tertio Novatiani, Sabelliani & Manichaei. Attamen eo plures testes divinae veritatis prodiverunt; quo magis doctrinam Evangelii per terrarum orbem divina clementia sparsam & disseminatam esse voluit. Obfignarunt sanguine suo doctrinam salutiferam Stephanus promartyr, Polycarpus, Justinus, Irenaeus, Basilus, Cyprianus, aliique innumeri. Voce pariter & calamo religionis Christianae veritatem ostenderunt post Apostolorum tempora Melito Sardensis in Asia Episcopus, Tertullianus, Clemens Alexandrinus, Origenes, & Gregorius Neocaesariensis. Mutata erat atrox persecutionum tempestas bonitate Dei in ferenum tranquillumque; cum Constantinus, devictis hostibus, Ecclesiae pacem reddidisset. Non tamen cessavit humani generis hostis, intestina movere bella, sanctumque Dei gregem maxime vexare. Excitavit Arium Presbyterum Alexandrinum, novasque & inusitatas de aeterno Dei filio spargere voces coepit. Haec haeresis eo gravior Ecclesiae fuit; quo magis Imperatorum favore suffulta, totum orbem Christianum sub Valente inundare visa est. Excitavit Donatum in Numidia Episcopum, ut cum suis asseclis lapsos omni gratia excluderet. Excitavit Macedonium, Patriarcham Constantinopolitanum, ut Spiritus Sancti divinitatem indubium vocaret. Praetereo Photinianos, Eunomianos, Anthropomorphitas, Priscillianistas aliosque plures. Obstitit tamen impiis Aarii conatibus Concilium Nicaenum a Constantino M. Nicaeae in Bithynia indictum, ejusque doctrinam publice damnavit. Congregavit Theodosius M. Constantinopolitanum, & Spiritus Sancti divinitatem contra Macedonianos mascule defendit. Proscripsit etiam Eunomianos, Sabellianos, Photinianos & Apollinaristas, istorumque perversam malitiam repressit. Nec mitius judicium de Haereticis tulerunt Patres celeberrimi, apud Graecos quidem Athanasius, Basilus M. & Gregorius Nazianzenus; apud Latinos Ambrosius potissimum & Hieronymus. Erigere caput coeperant in seculo sexto Episcopi Romani, in alias Ecclesias jurisdictionem sibi vindicaturi. Coelestinus primus fuit, qui hanc sibi potestatem arrogavit, sociosque novae audaciae cum alios, tum Sixtum III. & Gelasium I. habuit, donec Gregorius M. titulum universalis Episcopi in antecessoribus graviter improbaret, simulque ut Antichristi notam rejiceret. Turbarunt etiam Ecclesiam Dei Nestoriani, Eutychiani, & Pelagiani. Illi a Nestorio Patriarcha Constantinopolitano dicti, negata idiomatum communicatione, duas personas in Christo introduxerunt. Isti autore Eutyche Abbate Constantinopolitano duas in Christo naturas confuderunt. Hi antesignano Pelagio vires arbitrii in homine post lapsum integras adhuc esse, hominesque sine peccato Originis nasci perhibuerunt. Ex singulis tanquam ex equo Trojano variae in Ecclesiae ruinam seminae prodiverunt, quarum nomen commemorare supervacaneum forsan fuerit. Retinuit tamen Ecclesia veritatis divinae testes, qui grassans malum fortiter coererent & reprimerent. Obfuerunt Patres Concilii Ephesini Nestorianis; Chalcedonensis, Eutychianisturbis; Milvetani in Africa Pelagianis, & ambitioni Romanae curiae multi Episcopi. Nec defuerunt Patres, veritatis divinae testes infallibiles. Augustinus scriptis innumeris salutem Ecclesiae quaesivit, Cyrillus Alexandrinus acerrime Nestorio restitit, Hilarius, Fulgentius, aliique nihil in se desiderari passi sunt, quod ad Ecclesiae salutem pertineret. Accesserat seculum septi-

Sächsische
Landesbibliothek
26. MRZ. 1900
Dresden

septimum Pontificibus mundanis, secularibus & carnalibus memorabile. Sabinianus invidia & ambitione infamis, Gregorii antecessoris libros comburi iussit. Bonifacius III. titulum Patriarchae Oecumenici sibi arrogavit, Theodorus reliquias Sanctorum aureis inclusit receptaculis. Sergius Clericorum matrimonium rejecit & imaginum cultum introduxit. Gregorius II. & Hadrianus malum hoc auxerunt, Gregorius III. sacrificia pro mortuis instituit. Auxit infelicitatem Ecclesiae triste bellum inter Iconolatrias & Iconoclastas per integrum seculum non sine Ecclesiae detrimento gestum. Silentio Armenios, Felicianos & impietatem Muhammedanorum praetereo. Ecclesiae tamen labascenti succurrerunt partim Synodi nonnullae, partim fideles doctores. Damnavit recrudescens Monothelitarum malum Concilium Oecumenicum VII; Pontificum fastum, fraudes & errores impugnarunt Synodus Toletana XIV, doctoresque varii Sophronius, Clemens, Isidorus, Beda venerabilis, Adalbertus & Virgilius. Iconomachos & Iconolatrias rejecit Synodus Nicaena, usum imaginum historicum approbans, cultum illarum & adorationem rejiciens. Eadem fecit Synodus Francofurti ad Moenum habita. Impiis Muhammedis conatibus Christianus orbis restitit. Seculum nonum sub auspicio Caroli M. Germaniam eripuit e tenebris gentilium, & lumine Christianae religionis implevit; perpetuis tamen curiae Romanae turbis succubuit. Conatus est Stephanus IV. contra decretum antecessorum jus eligendi pontifices e manibus Imperatorum extorquere. Paschalis sine Caesaris suffragio electus, per literas & legatos se ipsi purgavit. Novis quidem & famosis sectis Ecclesia Dei turbata non est, nisi dicere velis, Damascenum & Bertramum, praesentiam corporis & sanguinis Christi in sancta Coena negantes, materiam novae litis suppeditasse, quae seculo XI. sub Berengario erupit. Interim, ut fastus Clericorum & corruptelae Ecclesiae reprimerentur, variae coactae sunt Synodi. Solus Carolus M. quinque Concilia in diversis provinciis habuit, Arelati in Burgundia, apud Turonenses in Gallia Braccata, Cabiloni in Gallia Celtica, Moguntiae in Germania, & Remis in Belgio. Nec tria Aquisgranensia pluraque alia sunt ex historia ignota. Eminuit etiam testium veritatis singulare quoddam studium, nempe Rabani Mauri, Strabi, Angarii, Hulderici, Nicephori, Johannis Erigenae, Photii, & aliorum. Misericordia iminebant Ecclesiae tempora cum seculo decimo, quod Spondano ob asperitatem malorum & bonorum sterilitatem ferreum; ob Scriptorum & doctorum inopiam obscurum dicitur. Ipse Baronius Annalium pater Pontifices hujus seculi non dubitat monstrosos appellare. Maximam malitiam attigerat rabies Romanae curiae sub Johanne XII, quem Trithemius bipedum nequissimum, vivumque Diaboli mancipium appellat. Accusatus homicidii, adulterii & sacrilegii, ab Ottone magno depositus est. Interim in tantis tamque formidolosis Christianae reipublicae temporibus divina providentia varios excitavit veritatis testes. Luitprandus Episcoporum ambitionem taxavit, Arnulphus in Synodo Rhemensi Papam vocavit Antichristum, Theophylactus Bulgerorum Episcopus edidit Commentaria in Evangelia, Epistolas Paulinas aliaque scripsit. Gravioribus in seculo undecimo & duodecimo tenebras subibat Ecclesia Christiana, Romana curia superstitiones superstitionibus cumulante. Gregorius VII. alias Hildebrandus, dicente Aventino, regnum Pontificium condidit primus Antichristus, & potentiae Pontificiae fastigium imposuit. In Henricum IV, qui tyrannidem ejus odio habuit, fulmen excommunicationis vibravit, regio titulo privavit, & potestatem constituendi reges sibi arrogavit. Cum fidei doctrina ferme omnis cessaret; dilapsi ad varios ordines sunt. Hinc introducti Ordines Cluniacensium, Camalduensium, Vallis umbrosae, Grandimontensium, Carthusianorum, Hospitaliorum; quibus seculum XII. addidit Ordines Cicerienses, Berhardinorum, Templariorum, Praemonstratensium, Augustinianorum, Carmelitarum, & aliorum plurimum. Nec Berengarius intermisit, praesentiam corporis & sanguinis Christi in sancta coena negare, turbasque multas excitare. At tamen ex funesta hac calamitate Deus Ecclesiam eripuit per testes veritatis constantissimos. Restitit Haimo, Archidiaconus Cantuariensis Papae traditionibus maximo cum studio. Nicetas voce & scriptis conjugium sacerdotum defendit. Waldenses in Gallia abusus Pontificios reprehenderunt, & multa sana dogmata habuerunt, Marsilius Paduanus fastum Episcoporum vehementissime accusavit, Henricus monachus


Missa

Missas pro mortuis, cultum sanctorum, peregrinationes ad sancta loca & alia multa improbavit & Hildegardis Abbatissa religionis mutationem praedixit. Nec Ecclesia Berengarii errores variis in Synodis damnare intermisit. Quo vicinius erat opus reformationis; eo magis saevire coepit Romana curia cum initio Seculi XIII. Haec enim deposuit Ottonem IV, proscripsit Fridericum II. & post Conradum effecit, ut Germania sub interregno magno suas miseras deploraret. Prodibant veluti ex orco novi in dies Ordines Franciscanorum, Dominicanorum, Flagellantium & aliorum plurimum. Obscuritate implebant omnia loca doctores Scholastici, & quicquid sani adhuc fuit, labefactabant. Servavit tamen Deus veritatis suae testes. Optime proposuit doctrinam de justificatione Wilhelmus Antisiodorensis Episcopus. Pontificem Antichristum dixerunt Eberhardus Episcopus Salzburgensis, Matthaeus Parisiensis, & Arnoldus de Villa nova. Sed emergere coeperat Ecclesia Dei quodammodo ex gravissimis tenebris, quibus per multa secula luctata fuerat, cum Johannes Hussus lucem Evangelicae doctrinae terris redderet. Surrexerant ante Hussum Rupertus Liciensis monachus, & corruptum Ecclesiae statum in praesentia Pontificis clarissime proposuit. Falsus est Conradus Hagerus, se constanter docuisse, Missam nec esse sacrificium, nec cuiquam prodesse. Confirmavit Johannes Taulerus, Ecclesiam indigere gravi aliqua reformatione. Johannes Piracensis Papam appellavit Antichristum & Romanam Synagogam Babylonem magnam. Maxime tyrannidi Pontificis se opposuerat Johannes Wiclef, Theologus Anglicanus. In plerisque recte sentiens, notam haeretici effugere non potuit. Schola Parisiensis impugnare coepit indulgentias Pontificis, Miltzius Antichristum jam venisse, probavit non simplici argumento. Johannes Munzigerus scholae Ulmenensis Rector panis consecrati adorationem publica voce damnavit. Ipse Johannes Hussus, Academiae Pragensis Professor, & in templo Bethlehemitico Pastor post reparatam Evangelii lucem exigam mercedem invenit. Evocatus a Sigismundo Caesare sub fide publica ad Concilium Constantinense cum Hieronymo Pragensi, ad ignem damnatus est. Sustentata tamen lux verbi Divini est inter gravissimas persecutionum tempestates usque ad Lutheri tempora. Hic veritatis testis persecutiones gravissimas pertulit, non tamen oppressus est. Initio quidem indulgentiis Pontificis se opposuerat divino ductus Spiritu; mox opus reformationis animose suscepit, susceptum constanter perfecit. Equidem ab eo temporis puncto nunquam nec dirae persecutiones, nec bella feralia defuerunt. Nunquam etiam mala interna haereticorum & schismaticorum cessarunt; attamen divina providentia religio Christiana salva & incolumis in hunc usque diem permansit, nostrisque posteris, ut speramus & confidimus, servabitur.

In recensendis his veritatis divinae testibus vires ingenii exercebunt nonnulli Juvenes boni spei ac indolis. Sistent summam cujusvis pensae in sermone ligato, prolixius in communi repetent. Et quidem

- Johann George Böhle/ Oderwitz Lus. Prologi vices sustinebit.
 Gottfried Richter/ Bernstadt Lus. carmine summam trium seculorum indicabit.
 Johann Gottlieb Möller/ Z. L. testes veritatis trium seculorum recenset.
 Johann Gottfried Philippi/ Geith. Misn. summam seculi IV. delineabit.
 Ernst Friedrich Rörting/ Misn. Grunhayn. testes veritatis sistet.
 Johann Christian Zempel/ Z. L. summam exhibebit V. & VI. seculi.
 Johann Gottlieb Berger/ Z. L. prolixius veritatis testes monstrabit.
 Johann Gottfried Zeinge/ Z. L. summam describet res seculi VII. & VIII.
 Christian Gottlieb Künzel/ Schoenbach. Lus. rem uberius explanabit.
 Johann Friedrich Gleischer/ Z. L. delineabit veritatis testes seculi IX.
 Emanuel August Wenzel/ Altenb. Misn. In veritatis testes penitus inquiret.
 Gottfried Ungewitter/ Z. L. delineabit seculum X.
 Johann Andreas Eberth/ Vittem. Sax. prolixius recitabit testes veritatis.
 Johann Gottfried Büßler/ Z. L. summam proponet res a seculo XIII. ad Hussi tempora.
 Andreas Seydel/ Z. L. prolixius veritatis testes habebit.
 Johann Christoph Richter/ Z. L. res Ecclesiae seculi XI. & XII. exponet.
 Gottlob Friedrich Grünwald/ Z. L. monstrabit, quos veritatis testes Ecclesia habuerit.
 Johann David Arnhold/ Z. L. sistet religionis cursum ab Hussu usque ad Lutherum.
 Christian Ehrenfried Eisersdorff/ Z. L. prolixius evolvit historiam.
 Elias Friedrich Schwertner/ Z. L. A Luthero usque ad nostra tempora res recenset.
 Johann Gottfried Elstner/ Z. L. accuratius enodabit Ecclesiae fata.
 David August Posselt/ Z. L. Epilogum addet.

Hos, ut DN. PATRONI, FAUTORES & AMICI auribus atque animis benevole & frequenter audire velint; officiose & peramanter rogamus. Servet Deus benignissimus Civitati nostrae veritatem Evangelicae doctrinae, & securitatem publicam reddat constantem, ut Cives perpetuam incolumitatem intueri possint. P. P. Domini VI. Trinit.



Datum der Entleihung bitte hier einstempeln!

66

